



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs VII. De translatione Episcopi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

bus, siue absentes venerint, siue non, convenire debent in loco ad eligendum designato, & quamprimum, ad multa incommoda devitanda, eligere, subtractione etiam ciborum compellendi ad electionem celeriter expediendam, ut patet ex *c. ubi periculum 3. h. t. in 6.* ubi plura alia ad fraudes, & pericula devitanda, statuuntur, & quid fieri debeat asseritur, si extra civitatem, ubi suam curiam habet, moriatur. Vide citatum *c. & Clement. 2. h. t.* quibus plura addere necessarium non est, cum pleraque non tam ex jure communi, quam ex specialibus bullis dependeant.

## §. IV.

De Electione Senatorum, Rectorum, & similium Officialium urbis Romane.

Vide de his *c. fundamenta 17. h. t. in 6.*

## SECTIO X.

De Romani Imperatoris Electione, Confirmatione, Consecratione, & Coronatione.

Hæc tota materia, quia magis ex auctore Bullæ Caroli IV. Imperatoris delumi debet, quam Germani nostri observant hodie, ita tamen, ut ea, quæ de jure Canonico statuta sunt in *c. venerabilem 34. h. t.* non negligantur, idem aliis relinquatur examinanda. Vide *relat. c. & Clement. unicam de jure jurando*, ac *Gloss. in c. ad Apostolica 2. de sent. & re judic. in 6. V. illi autem.*

## TITULUS VII.

## DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

## §. I.

A quo, & cujus auctoritate translatio Episcopi, vel alterius Prælati inferioris fieri possit?

Translatio in genere aliud non est, quam Personæ alicujus ab una Ecclesia ad aliam sæcularem, vel regularem, Superioris auctoritate ob causam necessitatis, vel utilitatis, facta mutatio: In specie verò sumitur translatio, prout hinc de ea sermo est, pro sola mutatione Episcopi taliter factâ, de quâ certum est 1. fieri non posse eam propriâ tantum

transseantis auctoritate, quamvis electus tantum & confirmatus, nondum autem consecratus fuisset *c. 2. h. t.* (quia talis transitus multarum perturbationum, & multæ ambitionis origo esset) sed à solo Summo Pontifice, ex plenitudine potestatis, Episcopum à suâ Ecclesiâ, cui desponsatus fuit, transferrere ad aliam, uti habetur in *c. 1. h. t.*; sicut enim matrimonium carnale insolubile est, humanâ potestate, quia ex Dei Institutione indissolubile vinculum est, ita etiam spirituale matrimonium inter Episcopum, & suam Ecclesiam, merâ



merâ potestate humanâ solvi non potest: & quamvis etiam alii inferiores Prælati, suo modo, & in sensu quodam latiore sponsi suarum Ecclesiarum dici possint, quia tamen hæc appellatio tam propria non est, hinc tales inferiores Prælati auctoritate suorum Superiorum immediatorum, sæpè taliter à suis Ecclesiis transferri possunt.

## §. II.

*De pœnâ Episcopi, propriâ auctoritate transeuntis ad aliam Ecclesiam, & an is cogi possit ad transeundum?*

**I**N pœnam autem transitus talis, quem propriâ auctoritate à sua Ecclesia ad aliam, præsertim majorem & ditio- rem, fecit Episcopus, utrâque carere debet juxta c. quanto 3. h. t. (saltem post sententiam condemnatoriam judicis) vel si propriâ auctoritate suam dimisit aut alienam accepit, saltem illâ, quam taliter dimisit, aut accepit, privari debet, ut in eo puniatur, in quo deliquit, & suo effectu careat ambitio illius. Quod pos- sit autem invitum etiam, si necessitas, aut utilitas jubeat, ab unâ Ecclesiâ sepa- rare Episcopum summus Pontifex, & alteri nolentem alligare, communis Ec- clesiarum cura, quæ Summo Pontifici imminet, probat.

## §. III.

*De modo, quo faciendâ est translatio Episcopi. & de causis, ac effectibus ejusdem.*

**R**egulariter fieri debet, à minore ad majorem dignitatem, cum pro-

motiones tales gradatim ab inferioribus ad superiora fieri debeant, prout colligitur ex c. 1. h. t. & hinc, cui concessa est facultas transeundi ad majorem di- gnitatem, non potest vi illius transire ad parem, seu minorem dignitatem, uti habetur etiam ex c. licet 4. h. t. cum fa- cilis Pontifex dispense, exigente ita utilitate Ecclesiæ, in promotione ad majora, quàm ad paria aut minora, nisi fundetur causa concessiois, seu dispen- sationis super habilitate Personæ, quæ nonnunquam sufficiens, & utilis esse po- test ad minora. Causæ autem transla- tionis communiter sunt duæ, Necessitas scil. & Utilitas Ecclesiæ. Effectus autem hujus translationis sunt, 1. Quod ma- trimonium spirituale inter Episcopum transferendum, & priorem Ecclesiam, à qua transfertur, dissolvatur. 2. Quod alteri Ecclesiæ jungatur taliter Episco- pus, & omnem potestatem taliter translatus acquirat, ac si per electio- nem, aut alium legitimum provisionis modum obrinisset. 3. Quod vacet prior Ecclesia ipso jure, postquam in translationem consensit transferendus Episcopus, etiam ante acquisitam pos- sessionem posterioris Ecclesiæ, ne trans- latus taliter Episcopus, duarum Ec- clesiarum sit sponsus, quod spirituale adul- terium esse videretur.

